DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PULMONIS INFLAMMATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WORDINGHAM,

Anglus,

SOCIET. MED. REG. EDIN. SOC. EXTRAORD.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

PATRI SUO CARISSIMO

JOANNI WORDINGHAM,

CHIRURGO,

HOCCE TENTAMEN,

STUDIORUM IN MEDICINA PRIMITIAS,

PIETATIS PERTENUE INDICIUM,

GRATO ANIMO,

CONSECRAT

FILIUS.

VIRO CLARISSIMO

ASTLEY COOPER,

EQUITI BARONETTO,

S. R. S.

AMPLISSIMI REGIS BRITANNIÆ CHIRURGO,

&c. &c. &c.

QUI,

MEDENDI ARTE AUGENDA, SIBI NOMEN

NUNQUAM PERITURUM RETULIT,

INGENIUM, SCIENTIAM, PERITIAMQUE

QUIBUS

INTER CUNCTOS EMINET,

ADMIRANS,

NEC MINUS QUOD IDEM SIBI EST SOLUM NATALE;

HANCCE DISSERTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

D. D. D.

AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO

THOMPSON FORSTER, ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOC.

NOSOCOM. GUID. CHIRURGO SEN.

E CHIRURGIS COPIARUM BRITANNICARUM,

NON MINUS IN MEDENDI ARTE PERITO,

QUAM INGENIO VIRTUTIBUSQUE,

CONSPICUO;

HOCCE OPUSCULUM,

BENEFICIORUM HAUD IMMEMOR,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PULMONIS INFLAMMATIONE.

Nullum viscus est in corpore humano quod magis obnoxium inflammationi quam Pulmo est ; neque ullus morbus magis studium medici desiderat, propterea quod afficit partes tam ad vitam necessarias, ut earum functiones, ne per minimum quidem spatium, impedire possint, sine summo incommodo, atque adeo vitæ ipsius discrimine. Acceptatissima opinio nostris temporibus

apud Pathologos est unam texturam, sive "*tissue*," ut dicitur, pulmonis posse primariam sedem inflammationis esse, idque ita ut ceteræ non afficiantur: proinde variæ species hujus morbi, quibus varia nomina data sunt, libris enumerantur. Quoniam vero celeberrimi quidam viri, inter quos HALLER, MORGAGNIque, et VALSALVA, citari possunt, putarunt inflammationem pleuræ existere non posse, nisi pulmo aliqua ex parte afficeretur, et quoniam, si hoc accidere potest, tamen nulla signa satis propria habemus ad sedes morbi curiose inter se discernendas, et quoniam denique, utcunque variat sedes inflammationis, curatio propemodum eadem esse debet, liceat mihi omnes species hujus morbi sub nomine Pulmonis Inflammationis generaliter comprehendere.

DE SIGNIS.

HOC vitium a Clar. CULLEN, his verbis definitur, "Pyrexia; dolor in quadam thoracis par-

te; respiratio difficilis; tussis." Incipit autem morbus plerumque a languore lassitudineque et horroribus, sive sensu frigoris, quod calor subsequitur; accedit sitis, reliquaque omnia signa Pyrexiæ. Pulsus celeres sunt, validi atque duri; interdum tamen imbecilli et molles, interdum inordinati, etsi hoc sæpissime sub finem morbi accidit. Dolor in aliqua parte pectoris sentitur, modo protinus subter sternum claviculamve aut scapulam, sed frequentissime juxta costam sextam septimamve: is dolor plerumque acutus fixusque est, interdum tamen ab una parte pectoris ad aliam extenditur, neque raro videtur ad viscera ventris descendere, ita ut peritissimos medicos fallat. Sub hoc morbo spiritus frequens et difficilis cst; molestia autem major est sub inspiratione, non modo quia cellulæ aëris turgidis vasis sanguiferis comprimuntur, atque ita distentionem plenam non facile sustinent, sed etiam quia quam minima distentio, dolorem maxime adauget. Idem malum nonnunquam intenditur

si æger in vitiatum latus cubat; sed id non perpetuum est: quinetiam ubi inflammatio vehemens est, difficultas spirandi ita adaugetur inclinatâ positurâ corporis, ut æger omnino cubare nequeat, sed cogatur sedere corpore quam maxime erecto. Hoc modo facillime spirat, propter faciliorem descensum septi transversi, unde pulmo pleniorem dilatationem admittit. Huic morbo tussis plus minus urgens semper accedit, quæ inspiratione intenditur, maximeque si homo frigido aëri objectus fuerit; tussiendo autem dolor semper adaugetur. Tussis inter initia fere sicca est, postea vero spumans mucus expuitur, isque interdum viscidus atque pellucidus est, leviterque sanguine distinctus; post diem unam aut alteram vero crassior magisque tenax fit, tamque flavus interdum est ut præbeat aspectum quasi commistæ bilis. Ut procedit morbus omnia signa graviora fiunt; facies intumet atque purpurascit; labra livida sunt; lingua arida et aspera; oculi sanguine suffusi. Alvus plerumque contrahitur,

subinde tamen fusa est. Urina rubra est, et aliquid lateritii coloris demittit. Sanguis si mittitur superficiem cavam ostendit, semperque crusta coriacea contegitur. Post tertiam et ante septimam diem indicia interdum subito remittuntur, spemque præbent maturæ sanitatis; huic vero parum bene confidimus, siquidem morbus post breve spatium repetere solet, idque auctâ vehementiâ. Delirium accedit, interdumque sopor; manus pedesque frigescunt. Pulsus imbecillus et intermittens est. Frigidi sudores corpus percurrunt, maximeque circa caput et pectora. Spiritus frequentior magisque laboriosus est; pauloque post omnes angores ægri morte finiuntur.

DE CAUSIS.

Causæ morbi dividi possunt in eas quæ corpus obnoxium reddunt, et in eas quæ morbum excitant. Ex prioribus est habitus corporis ple-

nus atque robustus, sexusque virilis potius quam muliebris. Morbus raro tenerrima ætate accidit, nisi post alios morbos ; sæpius ad pubertatem. Quædam artificia quoque homines huic morbo objectos reddunt ; maximeque ea quæ objiciuntur subitis vicissitudinibus temperiei, vel sub quibus pulveres inhalantur, vel quæ postulant inclinatam posituram corporis, ita ut sanguis ad inferiores partes minus propulsus pulmonem majore copiâ petat. Itaque sartores sutoresque iisque similes, morbo potissimum patent, idque maxime si ante habuerunt. Præterea pectus male formatum potest inter causas prædisponentes morbi enumerari. Ex causis excitantibus vero nulla frequentior quam frigus est, vel subitæ vicissitudines aëris. Itaque sæpissime accidit cœlis inæqualibus, uti nostrum est, maximeque vere aut autumno. Morbus quoque excitatur omnibus causis quæ movent auctam actionem cordis arteriarumque ; quales sunt vehemens exercitatio, cursus, saltus, intemperantia, aut libi-

do; præterea omnibus quæ pulmonem proprie afficiunt, quales sunt usus instrumentorum musicorum, vehementes exercitationes vocis, ictusque pectori illatus. Hoc vitium quoque alios morbos subsequi solet, uti morbillos, variolam, scarlatinam et catarrhum, ex extensione inflammationis a bronchiis ad pulmonem. Dicitur quoque interdum ex podagra, rheumatismo vel erysipelate proficisci; sed hæc mala potius prædisponentes causæ quam excitantes esse videntur. Interdum autem movetur consuetis profluviis, ut hæmorrhoide menstruisve, subito suppressis.

DE TERMINATIONIBUS.

Inflammatio pulmonis potest plurimis modis finiri, resolutione scilicet, suppuratione, adhæsione, hepatizatione, ut dicitur, effusione, et secundum aliquos, gangrænâ. Ex his primus modus vulgatissimus et optimus est. Resolvitur vero morbus plerumque inter quintum decimum-

que quartum diem, interdum subito, ut per fusam alvum turbidamve urinam, aut profusionem sanguinis e naribus vasisve hæmorrhoidalibus; sæpius vero tarde, per sputum crassum opacumque, et leniter viride, sæpeque sanguine tinctum. Inter hoc expuendum dolor imminuitur, spiritus liberior est, pulsusque ad naturalem conditionem redit. At suppurationem merito timemus si morbus diu perstat, signaque neque graviora neque leniora fiunt. Ostenditur autem gravitate in pectore, maxime ubi homo in latus decumbit; dolor imminuitur, sed spiritûs difficultas tussisque adaugentur; nihil expuitur; leves horrores accedunt, cum febricula pulsuque molliore et pleniore. Hæc signa ingravescunt, donec tandem abscessus rumpitur, homoque, effuso pure in pulmonem ipsum, protinus strangulatur, aut idem pus in pectus effunditur, empyemaque movet. Interdum quidem, raro tamen, accidit ut pus effundatur tam exigua copia ut homo post magnum periculum tandem convalescat. Tertia au-

tem terminatio hujus morbi adhæsio est inter pulmonem pleuramque costalem, unde interdum spirandi difficultas tussisque oriri dicuntur. Nonnunquam vero portio pulmonis convertitur in materiam jecori similem. Hoc primum suspicamur si spiritus creber est et brevis, cum sensu oppressionis; si loquendo plurimum fatigatur; si facilius in latus affectum cubat, interdum vero in dorsum facillime; si percussum ab hac parte pectus nullum sonum edit; si pulsus imbecillior, crebrior et inæqualis est; si facies pallet aut livet intumetque; his non raro delirium supervenit, membra frigescunt, homoque subito rapitur. Proprius autem finis pulmonis inflammationis est effusio, aut sanguinis aut lymphæ coagulabilis, in ejus telam cellulosam, unde cellulæ aëris comprimuntur, circuitusque impeditur et homo strangulatur. Quod si hoc mature in morbo accidit, sæpius ex lympha coagulabili effusa, quam ex sanguine, oriri videtur. Eadem inflammatio pulmonis raro quidem, interdum tamen, in gangræ-

nam desinit. Hæc cognoscitur subita remissione doloris, pulsuque exiguo, tremulo et inæquali; augetur anxietas; facies contrahitur, summa imbecillitas est, extremæ partes frigescunt, spiritus male olet, quicquid excernitur nigrum et fœtidum est, membra subito contrahuntur, homo soporatur, brevique morte liberatur.

DE DIAGNOSI.

SIMILLIMI morbi inflammationi pulmonis sunt Carditis, Diaphragmatis, Hepatitis, Asthma et Pleurodyne: hæc igitur mala a pulmonis inflammatione nunc discernenda sunt; quoniam vero discrimina inter pneumoniam et pleuritidem fere dantur, ab his incipiam. Prior, igitur, dicitur discerni posse pulsu crebriore plenioreque et molliore; tussis humida est, sputumque interdum sanguinolentum; facies intumet et purpurascit; dolor hebetior est, sæpeque sensus potius ponde-

ris et plenitudinis quam dolor est; febris mitior est, isque morbus afficit homines provectioris ætatis, maximeque eos quorum valetudo aut prioribus morbis aut potionibus ardentibus læsa est. Rursus pleuritis sæpius juvenes infestat, eosque potissimum plenos et robustos. At carditis ab inflammatione pulmonis dignoscitur acuto dolore juxta cor, pulsu inæquali, palpitationibus, animi defectione, summaque et perpetua anxietate. Indicatur autem septum transversum inflammari, si cum dolore præcordia astringuntur; si spiritus creber et laborans est, acceditque perpetuus singultus. Ex his signis autem quædam interdum desiderantur, neque alia tam manifesta sunt ut possimus semper dicere quæ sit propria sedes morbi; quoniam vero uterque eandem curationem postulat, non multum pertinet ad rem discrimen curiose facere posse. Hepatitis vero, etsi interdum ita inflammationem pulmonis repræsentat, ut vix discernantur, tamen ex sequentibus signis plerumque facile dignoscitur. Dolor

semper in dextro hypochondrio est, idemque pressura adaugetur, extenditurque ad summam partem dextræ claviculæ; accedit sæpe tumor partis affectæ; tussis sicca est, fereque vomitus cum singultu, neque facile homo nisi in sanum latus decumbit; ad hæc, facies pallet sæpeque flavescit, et hepatitis sæpius ad suppurationem spectat; inflammatio pulmonis autem ad effusionem. At asthma a pulmonis inflammatione hoc potissimum discernimus, quia venit per accessiones; quia dolor desideratur, constrictioque pectoris longe distat ab ea quæ in posteriore morbo accidit. Pleurodyne autem vocatur id genus rheumatismi quod musculos super pectus afficit; idque non raro cum inflammatione pulmonis confunditur. Sub priore vero febris parum aut nihil est, homoque sæpissime rheumatismo aliarum partium vexatur; difficultas spirandi quoque non tanta est, tussisque aut non urget, aut nihil excernit; præterea partes exteriores sæpe rubent atque intument, dolorque plurimum aut pressura aut levissimo motu intenditur.

DE PROGNOSI.

Sequitur ut de præsagio in hoc morbo dicam; quoniam vero signa jam proposui unde colligimus quis finis morbi sit futurus, non opus esse videtur de hac re longo sermone. Satis igitur sit dixisse omnia indicia, quæ ostendunt resolutionem fore, bona esse; rursus omnia quæ aut suppurationem aut hepatizationem aut effusionem instare ostendunt, terribilia esse, utque summum periculum denotent. Quod si ex signis gangrænam instare judicamus, homo in præcipiti est. Ad præsagium autem faciendum, non modo morbo respicere, sed ætati constitutionique ægri, debemus; siquidem vehemens impetus morbi longe facilius sustinetur juvenibus et robustis quam senioribus atque imbecillis, iisve qui aut phthisi pulmonali obnoxii sunt, aut robora sua ullo modo imminuerunt.

DE CURATIONE.

In hoc morbo curando, ut qui organum afficiat quod tantopere ad vitam pertinet ut verbis Cl. Gregory, " ne quidem per brevissimum temporis spatium sine maximo incommodo, aut instante periculo suspendi possit," remediis validissimis matureque adhibitis opus est. Curatio autem dividi potest in eam partem qua causas excitantes tollimus, atque in eam qua inflammationem depellimus, prohibemusque ne redeat. Quod ad priorem pertinet, manifestum est nulla remedia valere posse quamdiu causæ unde morbus profectus est supersunt, viresque corporis potius frangi solita curatione quam inflammationem depelli, nisi has prius sustulerimus. Quoniam vero ex excitantibus causis frigus vulgatissimum esse videtur, hoc potissimum evitandum est, sic tamen ut caveamus ne nimio calore febrem adaugeamus. Itaque homo conclavi suo continendus

est, ejusque temperies servanda est frigidula et æqualis, debetque, quantum fieri potest, omnes flatus aëris evitare. Secundum CELSUM, "Conclavi tenendus est, quo multum et purum aërem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus est." Ad hoc, omnes exercitationes pulmonis per plenum spiritum aut loquelam, omnesque animi corporisve agitationes ut quæ circuitum sanguinis velociorem excitent, diligenter evitandæ sunt. Homo neque carnem edere cibumve ullum excitantem, neque potiones ardentes aut vinolentas bibere ullo modo debet, sed uti cibo ex frugibus leni facilique concoctu, atque ab hoc ipso per paucos dies, quantum fieri potest, abstinere. Ad inflammationem ipsam autem depellendam nihil tam valet quam *missio sanguinis*, ad quam inter ipsa initia morbi protinus confugiendum est. Quod si morbus vetustior est, sanguis non sine summa cura mitti debet, siquidem hoc modo effusioni favemus mortemque acceleramus. At ip-

so initio sanguis commodissime mittitur, isque ex ampla plaga plenoque canali, quo quam maxima copia quam brevissimo tempore detrahatur, ægerque pedibus insistere, dum sanguis fluit, debet. De his rebus VAN SWIETEN dicit, "Pulcherrime juvat si ex vena majore per vulnus amplum, celeri fluxu exeat; hinc in cubito præstat venam aperire, quam in manu. Non enim hæc sanguinis missio instituitur tantum ideo, ut copia minuatur, sed etiam ut, subita tali depletione facta, arteriæ obstructæ minus jam urgente sanguine arterioso, contractæ retropellant, massulas obstruentas in majores ramos, sicque tollatur inflammatio." Itaque exigua copia sanguinis hoc modo detracta, magis corpus relaxat magisque proficit, quam si longe major copia tarde mittitur. De ipsa autem copia mittenda, nullæ certæ leges institui possunt; siquidem hæc ex morbi vehementia multisque aliis rebus pendet: mitti tamen certe debet, donec aut dolor quodammodo lenitur, aut ad defectionem animi,

id quod sæpissime accidit ubi copia a duodecim unciis ad viginti et quatuor detracta est, si modo æger erectus fuit. Quod si tamen defectio animi nimis cito accidit, iterum mittendus sanguis erit, idque quam primum; si vero magna copia detracta est, neque dolor lenitur, ad alia remedia confugiendum erit. Sanguinis autem missionem ex brachio adjuvet detractio quoque ex parte; maximeque ubi magna copia jam detracta est incisa vena, aut ubi morbus febrem typhoideam ostendit. Ubi res ita se habet, ratio pariter atque experientia suadent missionem per hirudines aut per cucurbitulas, etsi nullo modo his solis confidendum est. *Purgantia* autem in hoc morbo putantur a quibusdam corpus irritare, febremque accendere; etsi ego ex valido purgante remedio dato inter ipsa initia nihil mali, sed contra plurimum boni, proficisci vidi. Optimum ad id medicamentum esse videtur submurias hydrargyri; quod commode aut cum pulvere jalapæ,

aut cum infuso sennæ cum tartrate potassæ, conjungitur; ubi per se parum valet, id quod interdum accidit, cum alvus multum comprimitur. Utrum *vesicatoria* initio hujus morbi valeant multum, dubium est; mihi quidem videntur magis valere in morbo vetustiore, aut ubi inflammatio paulum se remisit.

Venio nunc ad *digitalem*, de cujus utilitatibus in hoc morbo scriptores inter se parum consentiunt. Has vero diversas sententias putarem oriri potius ex compositione medicamenti modoque dandi, quam ex facultatibus ipsis; si quidem nullum medicamentum aut citius amittit virtutes suas, aut magis curam studiumque medici, ubi datur, postulat. Digitalis autem, ut inquit FERRIAR, "affords us a remedy capable of reducing the pulse, without pushing evacuations to a dangerous length; hence it may be useful in Pleurisies, Peripneumonies, and all inflammatory diseases."

Huic opinioni vehementer assentio, quoniam vidi hoc medicamentum, ut in multis aliis inflammationibus, ita in hac, sæpe datum, idque tanto commodo, ut inflammationem pulmonis argumentum dissertationis hujus selegerim, magis ut virtutes hujus herbæ collaudarem, quam ut aliquid novi tam trito morbo adjicerem. Igitur post sanguinis missionem, digitalem nobilissimum remedium esse arbitror, ut per quod aucta actio cordis et arteriarum citius certiusque cohibeatur, febrisque imminuatur, quam per aliud aliquod. Quidam tamen a digitali abhorrent, quam periculosum admodum medicamentum judicant; sed si debita cura adhibetur, nunquam nocet. Modus autem quo hoc sæpissime datum vidi, est a decem ad quindecim guttas tincturæ, si morbus multum urget ægerque robustus et plenus est, ternis quaternisve horis, ita ut simul conjungeretur cum quindecim granis vel dimidia drachma sulphatis magnesiæ. Hoc modo alvus soluta servata est,

auctaque actio arteriarum melius cohibita; ad hoc, pulvis cum grano pulveris digitalis quinqueque aut sex granis pulveris antimonialis nocte dari solebat. Hac ratione pulsus intra triginta et sex vel quadraginta et octo horas plerumque plurimum repressus est; simulque hæc actio se ostendit, medicamentum aut intermissum est, aut minore copia datum, sic tamen ut actio ejus perstaret, neque ullum incommodum plerumque ortum est, nisi fortasse nausea vomitusque, quæ fere facile sublata sunt medicamentis aromaticis: simul cum digitali, omnes partes sedantis diætæ manifeste idoneæ sunt.

Medicamenta *vomitoria* a quibusdam in hoc morbo laudantur, maxime ubi conjungitur cum vitio aliquo jecineris; mihi autem videtur usus vomitoriorum periculosus esse, certe donec inflammatio paulum se remisit. Tartras antimonii autem, exigua copia sæpeque datus, ita ut

perpetuam nauseam moveat, atque ita auctam actionem cohibeat, plurimum prodesse potest. Memorandum quoque est Tommasini, Professorem Italicum satis celebrem, hoc medicamentum magna copia datum laudasse, nisi fallor, a quindecim granis ad scrupulum; quam commode vero tanta copia dari possit, nescio.

Quod ad *opium* pertinet, quidam putant hoc semper nocere in inflammatione pulmonis; alii contra multum adjuvare posse, si caute datur. Inter initia autem fortasse nunquam dari debet; sub finem vero, ubi tussis molesta superest, ex copia acrimoniaque muci qui in bronchio est, opium non modo tuto sed summo commodo dari potest. Etsi non multum *expectorantibus* medicamentis in hoc morbo confidendum est, tamen quædam rationes sputi movendi non debent prætermitti. Ad hoc vapor ferventis aquæ in pulmonem acceptus, sæpe multum adjuvat, sic tamen

si tussim non movet, id quod interdum facit. Ad hoc, misturæ oleosæ et mucilaginosæ, ad fauces lævandas tussimque leniendam, commode semper dantur.

Si igitur his modis morbus sublatus est, summa cura cavendum est ne redeat; id quod in hominibus robustis plenisque, et juvenibus, facere sæpe solet. Ad hoc, omnes subitæ mutationes aëris imprimis fugiendæ sunt;

> "Fly, if you can, all violent extremes
> Of air; the wholesome is, nor moist nor dry.
> But, as the power of choosing is denied
> To half mankind, a farther task ensues;
> How best to mitigate these fell extremes,
> How breathe, unhurt, the withering element,
> Or hazy atmosphere."

Præterea, omnia genera intemperantiæ studiose vitanda sunt. Exercitatio modica esse debet

et regularis. Cibus exiguus convenit, isque maxime ex tenuibus jusculis piscibusque, et iis similibus; caro per aliquamdiu fugienda est, potionesque ardentes et vinolentæ cane pejus et angue vitandæ.

FINIS.